

ISAGOGES

In

ARTICULOS VISITATORIOS

DISPUTATIO XIIX.

De

PRÆDESTINATIONE ET ÆTERNA PROVIDENTIA DEI,

AD ARTIC. IV.

PRÆSIDE

JO. BENEDICTO CARPZOVIO, D. & P. P.

RESPONDENTE

M. Jo. GOTTLOB HEMPELIO, Burckaviâ Lufato.

publicè in Auditorio Theologorum Paulino, d. VII. Octobris, A. M DC XCI. habenda.



LIPSIAE,

Literis CHRISTIANI SCHOLVINI.



**A**rticulus visitatorius *Quartus* inscribitur de *Prædestinatione* & *æterna providentia Dei*, adeoq; *Providentia Dei* tanquam synonymum *Prædestinationis* ponitur, non pro-  
 ut est *actus temporarius* divinæ potentia, mundum jam  
 conditum, & quæ in illo sunt ac fiunt, pro objecto habens,  
 sed in *significatione adstrictiore*, & cum appposito *æterna*.

II.

Vocatur & *electio*, quæ non nisi ratione à *Prædestinatione* differt.  
*Hæc* præordinationem ad finem; *illa* segregationem à reprobis si-  
 gnificat. *Hæc* magis terminum ad quem; *illa* magis terminum à quo  
 respicit, *Utraque* quoad rem *idem* notat, nempe decretum DEI, quo  
 personas singulares ad vitam æternam ordinavit.

III.

De eâ cum Articulus tradere dicitur *puram* & *veram doctri-*  
*nam nostrarum Ecclesiarum*, non ita hoc capiendum est, quasi do-  
*ctrinam de illâ totam* repetat; sed quòd thesin orthodoxam exhibe-  
 at quoad *capita doctrine* hujus inter Nos & Calvinianos *controversa*.

IV.

Controversia est partim de *causâ meritoriâ*, quæ est meritum  
 Christi; partim de *πενυσιμένη*, quæ est universalis Dei gratia & mi-  
 sericordia; partim de *Opposito*, quod est reprobatio, & quidem tum  
 quoad *causam particularitatis in homine*, tum quoad *possibilitatem*  
*conversionis ex parte DEI* & *mediorum salutis etiam in reprobis*.

V.

Hinc theses Articuli quatuor. Prima de *universalitate meriti*  
*Christi*. Secunda de *universalitate gratiæ*. Tertia de *interitu multo-*  
*rum*. Quarta de *possibili receptione in gratiam*, & *efficaciâ mediorum*  
*salutis*.

VI.

Thesis PRIMA est: *Quòd Christus pro omnibus homini-*  
*bis mortuus sit*, & *ceu Agnus Dei totius mundi peccata su-*  
*stulerit*. In quâ non tam *mors ipsa meritoria*, quæ extra controver-  
 siam hæc ponitur, quàm *ejus universalitas* asseritur.

VII.

Asseritur binis argumentis, quorum unum à *Synecategoremate*  
*omnis*, ex 2. Cor. V, 15. *Unus pro omnibus mortuus est*; alterum à voce  
*Mun-*



Mundi, ex Joh. I, 29. *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi, peti-*  
*tum.*

IIX.

*Priori vindicando servit locus parallelus 1. Tim. IV. 10. DEUS*  
*est Salvator omnium, maximè fidelium. Ubi objectum redemptionis*  
*tùm adæquatum, omnes homines, tum principale, fideles, conjungun-*  
*tur. Esset verò ἀδολεσχία, si ita exponeretur: DEUS est Salvator*  
*omnium fidelium, maximè verò fidelium.*

IX.

*Posteriori vindicando servit locus parallelus 1. Job. II, 2. Chri-*  
*stus est propitiatio non pro nostris tantum peccatis, sed pro totius mundi*  
*peccatis. Ubi gradatio & adverbium negatæ solitudinis vocem Mun-*  
*di non pro generibus singulorum, sed pro singulis generum sumendam*  
*docet.*

X.

*Ex utroq; pro meriti Christi universalitate argumentum est in-*  
*victum: Quicumque mortuus est pro omnibus (distributivè in singula*  
*generum) & tollit peccatum mundi (pro singulis generum accepti)*  
*illius mors & meritoria est & universalis. Atqui Christus &c. E.*

XI.

*Thesis SECUNDA est: Quòd Deus neminem ad con-*  
*demnationem condiderit, sed velit, ut omnes homines salvi*  
*fiant, & ad agnitionem veritatis perveniant; propterea*  
*omnibus mandat, ut Filium suum Christum in Evangelio*  
*audiant, & per hunc auditum promittit virtutem & opera-*  
*tionem Spiritus S. ad conversionem & salutem.*

XII.

*Complectitur duo decreta Dei: Unum Prædestinationis, quod*  
*Apostolus πρέσβειον 2. Tim. I, 9. & cum apposito πρέσβειον αἰώνων*  
*Eph. III, 11. nominat; Alterum vocationis, ab executione vel*  
*ipsâ vocatione designatum, quod ex 1. Thess. I, 4. & 2. Pet. I, 10. non-*  
*nulli electionem ad gratiam vocant. Atq; hoc posterius ut argumen-*  
*tum prioris adducitur.*

XIII.

*Prius decretum effertur eum negativè, quòd Deus neminem ad condemnatio-*  
*nem condiderit, & probatur ex Ezech. XIX, 25. XXXIII, 11. tum positivè, quòd velit, ut*  
*omnes homines salvi fiant, & ad agnitionem veritatis perveniant; & probatur ex*  
*2. Tim. II, 4.*

XIV.

*Posterius, vocatione ipsâ declaratum, describitur (1.) à causa principali, Deo*  
*mandante. (2.) ab instrumentali, Evangelio. (3.) ab Objecto, hominibus in statu pec-*  
*cati.*



cati constitutis. (4.) à *fine*, tùm *intermedio*, ut Christum in Evangelio audiant, tùm *ultimo*, ut per hunc auditum ad salutem gratiæ & gloriæ convertantur. (5.) à *proprietas*, nempe *serietate*, è mandato conspicuâ; *efficacitate*, mentione virtutis & operationis Spiritûs S. indicatâ; *universalitate* apertè nominatâ.

XV.

*Universalitas* autem non est intelligenda *ratione temporis*, quasi Deus omni tempore omnes homines actu vocet, cùm vocatio *in se universalis* fiat *culpâ hominum particularis*, prout decretum vocationis vel *antecegens* est, vel *consequens*.

XVI.

Thesis TERTIA est: *Quòd multi homines propriâ culpâ pereant: alii, qui Evangelium de Christo nolunt audire, alii, qui iterum excidunt gratiâ, siue per errores contra fundamentum, siue per peccata contra conscientiam.*

XVII.

En reprobationis (1.) *Objectum personale*, quod sunt homines, è *λόγω συγκελευσεως* multi, Matth. VII. 13. 22. 23. at non simpliciter considerati, sed *sub certâ ratione formali*, quæ est vel *generalis & communis*, peccatum quodlibet, quatenus à Deo ab æterno prævisum, vel *specialis & propria*, finalis incredulitas, quatenus à Deo ab æterno prævisa.

XIIX.

En (2.) *Effectum*, in *perendi* verbo, *ἀπώλειαν* Matth. VII. 13. & *ἄλγεα* Matth. X. 25. 2. *Theff. V. 3.* interitum puta *corporis & animæ* respiciente, quo non absoluta quædam *ἀνωπρεξία* intelligitur, sed participatio de omnibus interitus & perditionis speciebus, in miserrimo illo damnatorum statu.

XIX.

En (3.) *Causam meritoriam*, tùm *in genere*, propriam culpam, tùm *in specie*, respectu *irregentorum*, inobedientiam, quod Evangelium de Christo audire nolint, divinâ gratiâ præventi; respectu *renatorum*, apostasiam, quod gratiâ iterum excidunt, vel per *errores fundamentales*, vel per *peccata contra conscientiam*. Quod tamen non simpliciter & absolute, sed *ratione finalis impænitentiæ & incredulitatis* intelligendum.

XX.

Thesis QUARTA est: *Quòd omnes peccatores pœnitentiam agentes, in gratiam recipiantur, & nemo excludatur, etsi peccata ejus rubeant ut sanguis; quandoquidem Dei misericordia major est, quàm peccata totius mundi, & Deus omnium suorum operum miseretur.*

XXI.

Scopus est ostendere, quòd *nec* simpliciter impossibile sit, ut reprobi convertantur, *nec* condemnatio illorum absolute sit necessaria, adeoque culpam *nec* in Deo aut ipsius gratiâ & misericordiâ esse, *nec* peccatorum obstare magnitudinem, quò minus in gratiam recipiantur; sed *potuisse ac posse* reprobos converti & salvari, modò non ipsi *noluisse ac nolent*.

XXII.

Hanc possibilitatem conversionis in reprobis cùm multa sunt, quæ probant, tùm verò thesis tria solùm fundamenta illius monstrat. Primum est *peccatorum omnium expiatio*, ex *Jes. I. 18.* Secundum, *Exuperantia misericordiæ divinæ*, ex *Rom. V. 20.* Tertium, *Affectus opificis erga opus*, ex *Psal. CXLV. 9.*

